

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 10: De elemosina (7)

Bernardus:

O homo, si ieiunas in hoc, a dyabolo non differs,
quia numquam comedit.
Si vigilas ab eo, non discrepas quia nunquam dormit.
Si continens es, ille nunquam cognovit mulierem.
Si silentium tenes,
in hoc non vincis eum quia numquam in verba defluit.
In hoc solum dyabolum superas,
si caritatem habes et elemosinis operam prestas.

Bernardus:

“O homo, si ieiunas in hoc, a dyabolo non discrepas,
quia ipse nunquam comedit;
si uigilas in hoc, a dyabolo non distas, quia nunquam dormit;
si continens est ille, nullam cognouit;
si silentium tenes,
ille in uerba non defluit.
In hoc autem dyabolum superas
si elemosinis dandis operam prestas.”

Stephanus de Borbone, *Tractatus de diuersis materiis praedicabilibus*, 2.7 (CCCM 124A, J. Berlioz & J.-L. Eichenlaub eds., pp.303-4, ll.223-228).

Si jejunamus, hoc diabolus non timet,
quia ipse nunquam comedit;
si vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nunquam dormit:

sed si charitatem et concordiam tenemus,
hoc diabolus vehementer timet.

Thomas de Frigido Monte, *Liber de modo bene vivendi*, 61
(PL 184, col.1262B-C).